

En age, jam da lora: canam vel prima furentum  
 Anguipedum in magnos prælia torva Deos,  
 Cœumque, Enceladumque, & sævæ Pallados atram  
 Gorgona, & irato fulmina missa Jovi:  
 Quidquid & ille, aufert dum monstrorum genus omne,  
 Passus falsiparens Amphitryoniades:  
 Orpheus vel vatum Patrem, magnum Orpheus, dignum  
 Äquari summis Orpheus Cœlitibus;  
 Quandoquidem potuit cæcis abducere ab antris,  
 Sæcla hominum, ac tetram pellere barbariem,  
 Tetram hercle, ac fœdam, turpantemque omnia fœde,  
 Quam cur non monstris omnibus anteferam,  
 Herculeus quæcumque labor levibusque sagittis,  
 Nodoso & clavæ robore perdomuit?  
 Nam qua Stymphali volucres, Lernæaque pestis;  
 Quave queat nostrum perdere clade genus  
 Tanta, prodigium Nemeæ, Leo, susve Erymanthi  
 Horrens, dentem acuens, aut vigil usque draco  
 Hesperidum, quanta vitam radicitus omnem  
 Perdebat gliscens illa animi feritas  
 Abnormis, demens, infans, vi freta, lacertisque,  
 Et legum, & virtutum infacia? quam domuit  
 Non hastamve manu quassans, galeave timendus,  
 Sed placidus blandi carminis illecebra.  
 Namque virum dias mater quæ in luminis oras  
 Calliope fudit vertice in Aonio,  
 Ipsa suas artes docuit, complensque bonarum  
 Notitia rerum multiplici, ac varia,  
 Et formans linguam, ac digitos cum voce loquentes  
 In numerum, jussos ut lyra pulsa sonos  
 Redderet usque comes verborum fida, nec auri  
 Grata modo, sed vi prædita flexanima  
 Concentu sensusque imos, & corda cieret.  
 Quæ postquam vates omnia perdidicit,